



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum de legendis regulis canonicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

meridiem peruentum esset, omniaq; in hac 3. & vlt. sess. peragenda, præ angustia temporis in præsentia absolui non possent, Reuerendi Promotores institerunt pro continuatione præsentis sessionis.

Illustriss. Metrop. sententiam Reueré diff. Patrum prius habendam celsit; ideo de suggestu eam vniuersè his verbis Cancellarius rogauit,

Reuerendiss. Patres, cum omnia quæ in hac sessione ritè promulganda sunt, præ temporis breuitate hodie mane absolui non possint; Placet ne nobis hanc ipsam sessionem continuari hodie post vespèras?

Et cùm omnes, [Placet] simpliciter respondissent, de mandato Illustriss. Metro. iterùm suggestum ascendens continuationem indixit.

Demum Reue. Promotores vt de omnibus & singulis in præsentis sessione peractis publicum conficeretur instrumentum, institerunt & rogarunt.

Et cum sessio minimè absoluta esset, sed hodie post vespèras foret continuanda, Illustriss. Metrop. non benedixit; sed assurgentes omnes, in eodem loco sessionali sacras vestes exuerunt, & prece breui ante sanctissimum Sacramentum perorata, in ædes Archiepiscopales redierunt.

Continuatio tertie & vltimæ sess.  
Post vespèras.

**H**odie post xvij. horam Illustriss. Metrop. ante continuationem sessionis officium vespèrarum de vigilia Solennitatis Ascensionis D.N. in Pontificalibus celebraturus, in ædibus Archiepiscopalibus in loco ad id constituto pluuiale & mitrâ pretiosam induit, & Reuerendiss. Episc. ac Reuer. Cap. consuetis vestibus induto, reliquosq; clero Metrop. comitante, accessit ad Metrop. ibi indutis prius sacris vestibus de more a Cap. vespèræ celebratæ sunt. Quibus absolutis Reuerendiss. D.D. Episc. omnes induant pluuiale & mitram simplicem, & in sessionem descendunt: & facta prius oratione mentali, Illustriss. Metrop. de libro statim oratione, [Adsumus Sæcte Spiritus] recitauit. Mox om-

Pars III.

nibus confidentibus, de mandato ipsius Illustriss. Domini decretum vnum quod de Vicario Episcopi, vt sacris ordinibus initiatus sit, appellatur, ascendens suggestum Cancellarius promulgauit, & sententiam Reuerendiss. Patrum super eodem decreto vniuersè rogauit, & gratè de more actæ sunt.

Postea Reuer. Promotores pro lectio- ne regularum Canonicarum ex veteri instituto in Concilio Prouinciali habenda institerunt.

Instantia de regulis Canonicis.

**I**llustriss. & Reuerendiss. Metrop. Illud institutum est, atque in huius Prouinciæ more positum, vt Reuer. Episcopis Regulæ Canonicæ in Synodo legatur: Ideo instamus humiliter, vt illæ de suggestu pronuncientur & legantur.

Tum Illustriss. Metrop. regulas canonicas legendas esse decreuit, ac certa loca ex quibus desumptæ fuerunt, Cancellario assignauit, qui ascendens suggestum omnia ordine infra legit & pronunciauit.

Decretum de legen. reg. Canonicis.

**C**um ex sacrosancta canonum auctoritate iam pridem statutum sit, canonicas regulas œcumenicis concilijs traditas in Synodis prouincialibus legi debere, eas autem omnes recitari non patiat angustia temporis: idcirco expedire visum est, nonnulla sacri Concilij Tridentini decreta ad Episcopos pertinètia deligere, quibus adiungendas censuimus superiores constitutiones eas, quæ quasi regulæ quædam canonicæ, Episcopalis vitæ rationem, officia, & partes maxime attingunt. Hæc omnia publicè legi volumus, vt illa etiam atq; etiam repetita, eoque diligentius animis & mentibus impressa, quò maximo studio fieri potest, inuiolatè obseruentur.

De Concilijs Prouincialibus, & Diocesanis.

**E**X Concilio Tridentino sess. 24. c. 2. Ex Prouinciali 4. ti. de Synodo Diocesana.

L 3 De